

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CCXC.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

CCXC.

HENRICUS ABBAS MONASTERII S. BLASII IN NIGRA
SILVA DOTATIONI ALTARIS IN ECCLESIA SITZKIRCH
CONSENSUM ACCOMMODAT.

ANNO MCCCLXXII.

Ex tabulario Bada-Durlacensi.

Nos *Hainricus* permissione Diuina Abbas, Totusque Conuentus monasterii sancti Blasii in nigra silua ordinis sancti Benedicti diocesis constantiensis Notum facimus presentium inspectoribus seu auditoribus vniuersis, Quod nos super nostris & dicti nostri monasterii commodis & vtilitatibus prehabito tractatu diligenti, cum deliberatione matura, Donationi, ordinationi & donationi factis pridem per nobiles & spectabiles viros domicellos, *Ottonem & Rudolfum* fratuelem eius, *Marchiones de Hachberg*, dominos dominiorum & castrorum in Roetellen & in Sufenberg prefate dyocesis, Qui pro salutem propriarum, progenitorum maiorum predecessorum & successorum eorundem animarum, ac diuine retributionis intuitu, cultum dei in cella siue monasterio Sanctimonialium in Sitzenkilch ad nos sine medio pertinente dicte diocesis augmentantes donatione perfecta & irreuocabili inter viuos dederunt, donauerunt & assignauerunt pro se & eorum heredibus ac successoribus vniuersis altari in eodem monasterio extra chorum ipsius fundato & erecto ac in honorem sancte crucis consecrato prius tamen nondum dotato & Capellano ejusdem altaris, qui pro tempore fuerit in dotem & dotationem noue misse,

S s s 2

quam ordinauerunt & constituerunt in & super altari prescripto certos redditus bona & possessiones decimas atque iura suos atque sua, prout hec & alia in Instrumento super premissis confecto plenius continentur & ipsa vidimus contineri, una cum premissarum donationis & ordinationis & dotationis conditionibus pactis & clausulis vniuersis iuxta tenorem premissi Instrumenti, cui presentes nostre littere sunt infixae tamquam patroni sive superioris monasterii in Sitzenkilch prelibati, quod quidem monasterium ad nos nostro & monasterii nostri nomine sine medio & pleno iure dinoscitur pertinere, concorditer & vnanimiter pro nobis & dicto nostro monasterio sancti Blasii ac pro nostris successoribus in eodem, sine tamen quocunque preiudicio nostri & dicte celle sive monasterii in Sitzenkilch predicti ac sacerdotis curam animarum eiusdem monasterii & parochie infra cuius limitis idem monasterium existit situatum gerentis consensimus expresse & presentibus consentimus, Permittentes & volentes nichilominus quod collatio sive presentatio dicti altaris & eius prebende seu Capellanie, quando & quotiens vacauerit ad prefatos donatores & eorum heredes ac successores in eorum dominiis ante dictis, masculini sexus iuxta ordinationem per eos super hoc in dicto Instrumento appositam perpetuo debeat pertinere, & ad premissa & ipsorum obseruantiam nos, nostrosque monasterium & successores predictos firmiter obligantes, sigilla nostra presentibus fecimus in eorum testimonium appensari. Datum & actum in monasterio nostro Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo feria tertia ante festum natiuitatis gloriose virginis Marie Indictione Xma.